

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Gebri Arabis Chimia

Geber

Lugduni Batavorum, 1668

De argento vivo. Cap. XXX

[urn:nbn:de:bsz:31-95581](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-95581)

sunt huic arti utilia : reliqua autem multa genera non. Figitur autem arsenicum sicut sulphur, & utriusque sublimatio ex metallorum calcibus melior est, ut infra dicitur. Non sunt autem sulphur & arsenicum materia perfectiva hujus operis. Non enim complent nec perficiunt. Sunt autem adminicula in casu. Eligitur autem lucidum & squamosum, & non petrosum.

De argento vivo.

CAP. XXX.

Argentum vivum, quod etiam Mercurius appellatur, antiquorum usi est aqua viscosa, ex subtilissima terra alba sulphurea, & aqua clarissima in visceribus terræ calore naturali digesta & unita per minimam unione fortissima quousque humidum contemperetur à sicco, & siccum ab humido, æqualiter procreata. Ideoque fugit superficiem planam de facili propter suæ aquæ liquiditatem & humiditatem, non autem adhæret tangenti licet viscosam materiam habeat: & hoc propter siccitatem illius inclusam in ipso, quæ humiditatem contemperat & adhærere non permittit. Est autem secundum aliquos ex veteris prælis materia metallorum cum sulphure. Adhæret quoque tribus mineralibus de facili Saturno videlicet, Jovi & So-

li : Lunæ vero magis difficulter. Veneri autem difficilius quam Lunæ. Marti vero nullo modo nisi per artificium adhæret. Ex hoc utique secretum elicias. Est enim amicabilis & metallis suæ naturæ placabilis, & medium conjungendi tincturas, & non submergitur aliquid in eo nisi Sol. Solvuntur tamen ab eo Jupiter & Saturnus & Venus, & commiscentur: & sine ipso aliquid metalli opus deaurari non potest. Solvitur & figitur, & est tinctura rubedinis, exuberantissimæ refectiois, & fulgidi splendoris, & non recedit à commixto donec est in natura sua. Non tamen est materia seu medicina nostra in natura sua, licet similiter juvare potest in casu.

De effectibus principiorum nature, quæ sunt corpora metallica.

C. A. P. XXXI.

Nunc vero de metallicis corporibus quæ sunt horum principiorum effectus restat videre. Sunt a. sex numero scilicet, Aurum, Argentum, Plumbum, Stannum, Æs sive Cuprum, & Ferrum. Dicimus ergo quod metallum est corpus minerale fulibile, sub malleo ex omni dimensione extendibile. Est autem metallum densæ substantiæ & fortissimæ compositionis. Habent vero metalla affinitatem ad

se in
ho
run
plu
hoc
xtio
mi
im
hoc
stro
ctu
na
tio
ctu
pe
tu
no
pe
lo.
pe

A
N
se
pr
ne
erg
ci

se